

Ann. II.

Num. III.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

BIS IN MENSE PRODIT

Pretium subnotationis annuae, *praesolvendum*, in Italia est Libel. 10;
ubique extra Lib. 15, M. 12, Sch. 12, Doll. 3.

Inscriptiones et omne genus indicationes pretio aequissimo referuntur, quod est in extremis commentarii paginis
Lib. 0.50 pro unoquoque centimetro quadrato.

Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem, VOCIS URBIS possessorem et administratorem
ROMA — Via Alessandrina, 87 — ROMA

Subnotatio fieri potest:

IN ITALIA

Apud DESCLÉE, LEFEBVRE ET SOC.
ROMAE, Via Santa Chiara, 20-21.

IN ANGLIA

Apud BURNS AND OATES
LONDON W. — 28, Orchard Street.

IN STATIBUS FOEDERATIS AMERICAE SEPTENT.

Apud
COMMISSARIAT OF THE HOLY LAND.
NEW YORK, 113 w 95th St.

IN BELGICA

Apud DESCLÉE, LEFEBVRE ET SOC.
BRUXELLES, Rue de la Montagne, 52.
NEW YORK (U. S. Americ.), 113 w 95th St.

IN CANADA

ET NEWFOUNDLAND

IN GALLIA

LUGDUNI
Apud DESCLÉE, LEFEBVRE ET SOC.
Rue Victor Hugo, 5

LUTETIAE PARISIORUM
LIBRAIRIE VIC ET AMAT
CHARLES AMAT SUCC.
Rue Cassette, II.

INSULIS (LILLE)
Apud DESCLÉE, LEFEBVRE ET SOC.
Rue de Metz, 4.

RERUM INDEX

MAIORA IMPERIA QUAE NOSTRA AETATE HABENDA SINT.	Eucalyptus.
DE ISAACO THOMA HECKER	C. I.
FRANCISCUS COPPÉE POETA	D. Tamilia.
EX GALLIA. — DE GALLIAE CONDITIONIBUS IN PRAESENTIARUM.	Senior.
LATINAЕ ADNOTATIUNCULAE	F. R.
AN FLORUM USUS FUERIT IN EXSEQUIIS VETERUM CHRISTIANORUM.	I. Bonavenia.
« GUSTAVE ZÉDÉ » NAVIGIUM IN MARE NUPER DEDUCTUM . . .	Laelius.
DE IUDAICA GENTE IN EUROPA	B. Nelli.
DE IUDITH TABULA PETRO ALDI AUCTORE	I. Cascioli.
IN MEMORIAM	C.
ANTHEA (<i>Eamus ad Ipsum</i>)	P. Angelini.
DE CALIFORNIA EIUSQUE INCOLIS	Alpha.
DE NEBULOSIS INTER SIDERA ORIONIS ET CETE	H. D. V. Pieralice.
BACCHANALIA ROMANA UT OLIM CELEBRATA, UT NUNC . . .	Franc. X. Reuss.
GRATUS COLUMBIANORUM ANIMUS IN CHRISTUM IESUM . . .	N.
ANNALES	Egnatius.
ACTA SANCTAE SEDIS	Thomas.
LOGOGRAPHUS	C. De Angelis.

ROMAE

EX OFFICINA FORZANI ET SOCII

M DCCC XCIX

* VARIA *

*Facilis descensus Averni,
Sed remeare gradus!*

VIRG. Aeneid, lib. VI.

Non iniundum et fortasse lepidum, quod contigit in oppido Stabiis prope Neapolim, festo patroni sancti Catelli die.

Pulvis pyricus sphaeris inclusus chartaceis incendebatur magnum datus fragorem repentina coruscatione, ceu moris illuc; at media in fulguratione incautum manu gerentem immane periculum intercepit, manumque laceravit urens.

Tetanus brevi deduxit vulneratum ad ultima, et funebris pompa inter gemebunda psalmi carmina et luctus civium tubis lugubriter moesta concinibus mortuum corpus comitabantur ad coemeterium.

Sequenti die ad sacra facienda omnibus rite dispositis, vespillones et aeditus praesto erant, illi humaturi inanime corpus, hic cereos accensurus ad missam.

Tunc aeditio visus est extincti hominis vultus non exsanguis, non decolor, quae signa mortis erant ab ore decesserant.

Stupet; circuit; cavens lucis aliquam fraudem, oculorum timens errorem, iterum circumgraditur.

Res fide maior erat, at pondere maximo veritas urgebat. Accedit itaque; cor explorat; vita revelabatur in palpitu. Audet insuper. Brachium iacentis trahit; iacens capienti non obstat, at trahenti resistit, sibique brachium vindicat.

Conclamat cum aedituo turba videntium, laetantes ingeminent plausus, sacra interrupta fuerunt. Magistratus, familia, ruunt auditum, visum. Reviviscentem reducunt laetantes, qui firma nunc utitur valetudine.

*

Maximum, quod sit, simulacrum.

Celeberrimus olim Rhodiensis Colossus; nec minoris habenda erant, quamvis non aequalent, illa Domitiani radiata statua et illa Neronis, quae facile vel ab Albanis montibus cernebantur; adeo super aedificia, ipso non excepto Amphitheatro Flavio, quem conditum est, eminebant!

Sed omnes longe superare videtur Buddae

simulacrum in principe olim Iaponis urbe Kamakoua, et in excellentissimo foro assurgens in altitudinem metrorum viginti.

In medio ventris interius templum sibi sacram habet, ipse sibi templum ac numen. Caput monstruosum negat convenientias omnes reliquo corpori, quum uno de triginta metris fascia aegre ambiatur. Quid vero de ore illo, cete magis quam homine dingo?

Monstrum horrendum informe ingens.

Libertatis simulacrum, quod Galli ad Americanos dono miserunt, ut phari praestaret officia, in portu New-York, post Buddense hoc, nostris diebus habetur alterum; proportionibus et gratia primum.

*

Ioci.

— Quid est patrimonium? — inquit filius.

— Patrimonium, mi fili — respondit pater — est quod filio relinquit pater. — Matrimonium igitur — pergit filius — est quod relinquit mater.

Olim nauta funem longum extrahebat ut terminum eius adipisceretur. Quum diu eum retraxisset nec terminum invenisset, impotenter exclamavit: — Quidam stultus huius funis absedit terminum!

Scotus quidam, qui peregre habitabat, inter dona die natali suo accepit carduum ingentem, Scotiae insigne. Amicus, Scotum salutatum veniens vidensque carduum in mensa iacentem, ei dixit: — Pace tua, nesciebam te ad coenam esse.

B. MACRAE.

*

Explorationes oceanographicae.

Doctor Chun apud promontoria Bonae Spei versatur, una trahens quotquot eo praeside missi sunt.

Bono alite incohaeta dimidium facti iam absolverunt; nam explorationes submarinae sexcenta bacteriorum, spongiarum, crinoidarum, osfuriidum et huiusmodi, novasque species ab imis oceanii profunditatibus excerpta compararunt.

Ab urbe Capetwon ad sythes Agulhas exploratorius procedet, et antarticas regiones, pra-

sertim Victoriae, antehac vix delibatas attinget. Inde erit in Oceaniam cursus; Sumatra insula meta.

*

Exploratio septentrionalis poli.

Regius adolescens Aprutiorum dux, comitibus Frigerio et Cagni militari in re ipsum adiuvantibus, principes Daniæ et Svevae dominationis, urbes adibit, demigratus aestivo tempore in septentrionales regiones, sive Spitzberg, sive Terram Francisci Iosephi.

Redeunte mense martio anni MDCCC articum orbis terrarum cardinem attingere curabit, quo occupato revertetur fortasse mense augusto aut septembri sequentis anni.

Magnam inde utilitatem accessuram sperant iis disciplinis, quae phaenomena electrica, magnetica, meteorologica et geographicas notiones exquirunt.

*

Exploratio Americae australis

ad regiones Amazonum.

Dum in Nordanis ii, Augustus Franzoi Africæ perlustrator, Orestes Mosca, medicus Razzoboni, Quintinus Pene et Guidus Widoni in Amazonum terram (austral is Americae regionem) procedent, ad ea paranda quae sint ad investigationem profutura; haec namque loca, quamvis uberrima, parum nota, et raro peragrata, magnam vestiganti segem in flora et fauna possidentur.

Rediens omnia Franzoi describet, ad ineundum iter septembri proximo regiis verbis horatus.

*

Polum ne occupaturus?

Quoniam de explorationibus ad polum sermo fuit, addimus quae articum respiciunt. Doctor Welmann attigit litora, quae Francisci Iosephi nomine insignia sunt. Inde scribit se sperare perventurum ad ultima; et nunc proculdubio illuc agit hiberna. Redeunte vere, trahea ducta a canibus, ducentorum chilometrorum addito itinere, mathematicum poli centrum occupabit, quod quinquaginta diebus circiter assequetur.

LIBRI ET COMMENTARII DONO ACCEPTI

*Frà Angelico da Fiesole. Sa vie et ses travaux, par
ÉTIENNE BEISSEL, S. I.; ouvrage traduit de
l'allemand par JULES HELBIG et précédé de
10 planches et de nombreuses gravures dans
le texte. Société de Saint-Augustin, Desclée,
De Brouwer et C^e, Lille, MDCCXCIX.*

*STEFANO GROSSO, Delle opere di Guido Ferrari,
latinista, archeologo, storico novarese, e di Ga-
spare Garattoni, critico, filologo, latinista raven-
nate. Nuova edizione con appendice.*

*CESARE DE TITTA, Un'ode di Saffo voltata in la-
tino e in italiano, con alcune note critiche su
le versioni di V. CATULLO e U. FOSCOLO.
Lanciano, 1899.*

*FRANCISCUS MASSI, Monumenta Vaticana versibus
descripta. Editio altera locupletior. Venit L. 2.50
apud officinam Forzani et C., Romae.*

*GINO MALVASI, Nel quarto centenario di Gerolamo
Savonarola. Mirandola, 1899.*

— Loreto. Mirandola, 1899.

*P. VIRGILII GENINI Minutiae, lib. I et II. Me-
diolani, 1899.*

*Rivista internazionale di scienze sociali e discipline
auxiliarie. Anno VII, fasc. di gennaio 1899.
Die Nation. Berlin.*

Praeaco latinus. Philadelphia.

La Vita Nova. Napoli.

L' Osservatore Cattolico di Milano, 1899.

La Ricreazione. Trieste.

Esperia. Caserta.

Kölnische Volkszeitung. Köln.

The Review. St-Louis, Missouri.

Revue Écclesiastique. Valleyfield.

*Boletin, Revista de la juventud católica de Va-
lencia.*

Deutsches Volksblatt. Stuttgart.

La Voce Cattolica. Trento.

La Vera Roma. Roma.

Giornale Arcadi. Roma.

Spiew Koscielny. Warzawa.

Il Marzocco. Firenze.

La Scuola secondaria italiana. Milano.

Il Cavalier cortese. Firenze.

Revue Bibliographique belge. Bruxelles.

La Cruz. Madrid.

*Revista ilustrada del Colegio de San Francisco.
Santander.*

La Toga. Roma.

*Emporium. Rivista mensile illustrata d'arte, let-
teratura, scienze e varietà. Bergamo, 1899.*

Quod etiam
pter aceras an-
linguis moribus
imperium. Quae
infirmitatem, no-
in plura regna
melior, aere ali-
pacis bellique
sua constitutione

Verum Russi
mihi videntur ce-
Quippe situ tutis
rum genere abu-
milite praepollen-
tate nostra vigi-
ditissimas colonia-
tissima territoria,
pulis commerciu-
ceteras superem

In Ita-
Ubiqui

MA

QUAE NOS

D E regni
fari lect-
ratius vocabul

Multa ren-

Quas nun-

Omnia sunt e-
sub luna cadu-

Regna, ex-
per virtutem
magnitudine su-
sim languescer-
surgunt. Saep-
multo post tem-
grandescunt re-

Haec mecu-
sentem potenti-
siderarem, quar-
pertingere fasti-
et quasi ad oce-

Quis tam
magnas opes
putasset? Atque
robore, incolar-
ipsi antecellit C
in Europa ten-
genio, industria
Gallia locuni o-
utriusque nationi
ipsam magno p-
cum Germania

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

PRETUM SUBNOTATIONIS: In Italia Lib. 10 Ubique extra. Lib. 15, M. 12, Sch. 12, Doll. 3	BIS IN MENSE PRODIT	POSSESSOR ET ADMINISTRATOR: ARISTIDES LEONORI, eques. ROMAE - Via Alessandrina, 87.
--	---------------------	---

MAIORA IMPERIA

QUAE NOSTRA AETATE HABENDA SINT

De regnis sermonem habituro liceat mihi afferi lectores iisdem versibus, quibus Horatius vocabulorum vices significabat:

*Multa renascentur quae iam cedere carentque
Quae nunc sunt in honore.*

Omnia sunt eidem obnoxia sorti, quae cuncta sub luna caduca et mortalia fecit.

Regna, exiguis profecta initis, postquam per virtutem ad culmen pervenerunt, laborare magnitudine sua, socordia deinde ac ignavia sensim languescere, donec omnino occidunt, et nova surgunt. Saeppe quae diu prostrata iacuerunt multo post tempore revirescunt, itidemque alia grandescunt regna quae nunquam putaremus.

Haec mecum animo repetebam quum praesentem potentiorum nationum conditionem considerarem, quarum alias ascendere, alias summum pertingere fastigium, alias paulatim descendere et quasi ad occasum properare videamus.

Quis tam brevi tempore Borussiae haud magnas opes in tantum imperium coalituras putasset? Atque haec modo regio exercituum robore, incolarum numero aliquis de caussis ipsi antecellit Galliae, quae paulo ante primas in Europa tenebat. Et quamvis hominum ingenio, industria atque artium progressu illustrem Gallia locum obtineat, nemo inficias ibit, dum utriusque nationis vires et praesidia penset, fore ipsam magno periculo si belli fortunam iterum cum Germania experiatur.

*

Quod etiam de Austria putandum videtur propter acerbas animorum dissensiones ex gentibus linguis moribusque dissonis, quibus coalescit imperium. Quae res, quum eius in dies augeat infirmitatem, non nihil gignit timoris ne proxime in plura regna dissolvatur. Nec Italiae conditio melior, aere alieno oppressae, et quae multis pacis bellique praesidiis adhuc destituta, recenti sua constitutione debilior appetat.

Verum Russia, Anglia simul cum Germania mihi videntur ceteris nationibus longe praestare. Quippe situ tutissimae regiones, omniq[ue] copiarum genere abundantes, pedestri ac maritimo milite praepollentes, cunctis imperiis, quae aetate nostra vigent, praeponendae sunt. Adde ditissimas colonias, vastissimas possessiones, latissima territoria, alacre cum omnibus terrae populis commercium, quibus, Anglia praesertim, ceteras supereminent nationes, et senties opi-

nionem eorum labefactari qui sex hactenus maiora imperia in Europa existimarunt.

*

His, quae modo dixi imperia, nonnulli Americae septentrionalis civitates addendas censem; nec fortasse immerito. Numero enim civium et divitiis maxime pollut; animi autem omnium, recentibus elati victoriis, maioris dominationis cupiditate magis in dies inciduntur.

Quatuor igitur maxima in orbe terrarum imperia habenda videntur, Russia, Germania, Anglia et Americae foederatae civitates. Utinam hoc latinae nationes considerent! haud dubium quin, foedere inter se inito, pristinam dignitatem sint recuperatae, praesertim quum unius religionis vinculum hominum ingenium et nationes praestantiores efficiat, si tamen coniunctae. Adhaerent Pontifici suo, qui non semel eas ab interitu liberavit: intercidunt regna licet potentissima, super eorum ruinas assidet victrix Ecclesia, cui Deus omnipotens imperium sine fine dedit.

EUCALYPTUS.

DE ISAACO THOMA HECKER

TEMPUS ita ferre videtur ut Isaaci Thomae Hecker ignoratione teneri indignum sit; usque eo et libri in illum conditi et habita in commentariis controversiae, aperire hominem potuerunt eiusque consilia in aspectum lucemque proferre. Hecker enim is est quem haud pauci studiose speculantur atque custodiunt, viae ducem subsequuntur, amant, pioque, pene dixerim, cultu observant; alii, contra, eius doctrinae repugnantes, ipsum eiusque assecas quasi novarum rerum nimis cupidos contractiore vultu intuentur. Ex qua animorum contentione diversa, illud intellegere licet, Isaacum Hecker praeclaris factis ad singularem laudem ascensisse; de viro enim, qui ab omni existimatione inops sit, acris disputatio nulla habetur, itemque facile coniicias, virum qui in tantam veniat controversiam, etsi aliquo in nomine carpi potest, vestigia tamen virtutum nec leviter pressa, nec ad exigui praedicationem temporis reliquise.

Isaacus Hecker e tenebris est in lucem evocatus; a primo enim aetatis tempore opificem egit; mox vero se in sacram familiam, cui nomen a SS. Redemptore, dicavit in initio sacerdotium; denique priore sodalitate abs se abiudicata, religiosum coetum a Paulo apostolo condidit ad quem mentem animumque usque ad extrellum spatium adiunxit.

At, ceteris praetermissis, quae vel in homine obscurissimo deprehendere licet, ea iuverit maxime persequi, quibus ille admirabilis exstitit. Ab ineunte aetate vehementi cupiditate raptus est veri asse-

quendi; cum enim alta caligine eius mens occuparet atque in iis quae tum Deum esse docent, tum homines ab Ipso fuisse conditos, ancipi cura distraheretur, nullo usus doctore, quaestiones omnium maximas expedivit. Quarum investigationum difficultatem admirabilis ille doctrinarum amor mollivit, cuius beneficio sive opus manu et arte exercebat, sive cessatione reficeret vires, firmo animo in philosophiae studio, quae de moribus est ac de vita societate, conquiescebat, ita tamen ut quemadmodum in vita instituto, sic in discendi quoque genere suus esset omnino. Doctrinam vero quae in actione versaretur mirifice spectans, nullo modo adduci potuit ut ad illas disciplinas animum conferret quae ab usu essent alienae atque artis praecepsis continerentur. Studio autem doctrinae comparanda illa accessit omnium maxima laus, qua, nulla consilli mutatione, in recte agendo numquam a se ipse discesserit. Ex hoc constantissimi animi ingenio quo, quum aliquid semel habuisset exploratum et cognitum, omnia perpeti paratus esset ne a se ipse dissidere videretur, initia, ut arbitror, profecta sunt catholicae ab eo fidei suscipienda.

Virum sane iis omnibus in exemplum qui candida veritate nihil pulchius esse arbitrantur! Quis vero non consentiat eum exquisitissimis verbis esse effrendum tum quod, verum assequutus, fidem mentis suscepit vitamque in christianorum morem instaurit, tum maxime quod coeleste hoc munus uni Deo acceptum retulerit, praeterea nulli? Rerum usus didicerat, illud plurimorum vitio fieri ut existimat, ab errore sciuntis veri lucem patere omnem; quorum vero mens errore opprimatur nullam iis esse veri assequendi vim aut facultatem. Nam hoc in animum induxit, esse hominum omnium ducendum rationem, sibique imperare non poterat ut crederet, praeclaris facinoribus nullo modo posse improbos viros prudentium sequi vestigia, verumque omne ab eorum intelligentia abhorre. Quapropter ita sentiebat, ea quae bona sunt ac vera, suapte vi hominum mentes animosque percellere, nec ideo esse despicienda quod in hominem cadant qui vitiis sit aut erroribus obrutus. Quam quidem sententiam ad usum adiungendam curavit maxime ut quam plurimos pravis opinionibus liberaret, catholicae religioni restitueret, ab effreni licentia ad rectam vitae rationem deduceret. Etenim illud nemini est obscurum, Isaacum Hecker divini cultus promovendi studio incensum, industriam omnem in id contulisse ut ad Deum colendum homines, quam licet plurimos, adduceret, eosque et ad virtutem fingeret et christianae fidei sententiis praecepsisque informaret. Quod ut adsequeretur novam quandam ingressum fuisse rationem, ex iis quae in contrarias partes fuerunt nostra hac aetate disputata, perulgatissima res est. Nova haec paucis complectar, iis relicto iudicio, qui hoc in genere sunt sapientissimi summaque auctoritate pollut; Ipsi quae vera sint, quae falsa iudicent, iidemque cernant consequentia atque ambigua

distinguant. Itaque hoc Isaacus contendit maxime, singulorum libertatis ac facultatis esse habendam rationem, idque esse ab Ecclesiae viris spectandum ut subsequentibus quidem praeceant viamque monstrent, at, in excolandis fidelibus, ne nimii sint, ne angustiores; causam integrum iisdem permittant, eosque, dum liceat, sentire libere atque agere sinant; haud raro contingere ut Christi sacerdotes, in obeundo munere instituendorum hominum, saevi domini magis, quam duces esse videantur: ad Deum propius esse accedendum, quod in hominum animos ipse illabatur, eos divino instinctu concitat, rectoque ordine virtute perpoliat. Ex quo illud cogebat, christianam religionem, quippe quae unica Dei cultum non specie tantum sed re spectet, quadam animi divinatione sentiri, humanaeque naturae convenire omnino ac respondere. Itaque quum eam intellegereret veri Dei religionem, quae cordi hominum resonet tamquam imago, aequum esse arbitrabatur, ut christiana lex ad hominum ingenia se ipsa conformet, ad eorumque rationem res et consilia dirigat. Quapropter hominem spectabat semper, nec quantum praesidii esset in ipsa natura dissimilabat, ratus Deo sane propitio ac iuvante uti eos qui naturae ornamenta ac munera diligenter excolet atque expolirent. Idem censebat, eos qui Deo religiosum cultum ex animi sententia ac libere impendunt, officiosam venerationem numini adhibere virtutemque, divino tangente Spiritu, agitare; quapropter pium quoddam collegium constituturus maluit, qui ab eo essent, nulla voti religione alligari.

Atque haec quidem ille; nos interim eorum iudicium expectamus, qui novam hominum conversationem aequa iudicij lance pro sua auctoritate. perpendant.

C. I.

FRANCISCUS COPPÉE POETA

PROPOSITUM nobis non est universam Francisci Coppée, clarissimi franco-galli poetae, vitam attingere neque de eius numeris disserere, qui leniter ac suaviter fluentes tantam voluptatem exprimunt, ut mentem allicant animumque moveant (neque enim hic est locus neque vires sufficiunt); verum, quomodo is ad christianam religionem, iam inde a puer neglectam, iterum colendam tamquam in portum confugerit, paucis exponemus. Quae autem dicturi sumus ab ipso poeta sumpsimus, qui in prooemio sui libri, cui nomen inditum est *Bona patientia*, vel potius, si gallice loqui volumus, *La bonne souffrance* (Paris, Lemerre, 1898), et quem, gravi morbo laborans, scripsit, de se loquitur et suos intimos religionis sensus libere atque aperte exprimit. Quin etiam poeta ipse profitetur, librum scriptum esse iis, qui adhuc dubitatione aestuentes traditas religionis opiniones nimis contemptas conqueruntur; sed animis cadunt, neque intimam illam vim, quae *fides* dicitur, a Deo petendam esse sibi persuadent.

Franciscus igitur Coppée a teneris unguiculis bonis moribus atque christiana religionis praeceptis imbutus, ubi primum a pueris excessit, religionis officia neglexit, non doctrinae argumentis, sed incredibili quadam animi levitate, ingenio suo suisque voluptatibus indulgendi causa, veluti miles ignavus, qui militiae disciplina defatigatus, signa relinquit; tamen ex intimo animo totam non sustulit religionem. Neque enim iuvenis, licet pauper atque inops, divinae Providentiae imprecatus est, neque deinceps suis scriptis, quae ad religionem pertinerent, per-

contemptum expressit; quin etiam semper in deliciis sacras Dei cultus caeremonias habuit ob earum pulcritudinem et magnificientiam.

Praeterea, quamquam philosophiae nunquam operam dedit, quippe qui magno musarum amore erat incensus, tamen a se ipso querere non intermisit, cur vitam ageret, cur lacrimas funderet, cur mortem esset obiturus et quae essent generis eiusdem. De his maximis quaestionibus, quae hominum animos agitant, multa et varia praecepta a philosophis traduntur; verum poeta noster eos, qui animam una cum corpore interire, neque ullum esse Deum putant, nunquam probavit.

Ad Deum enim colendum natura ipsa sua trahi et duci se sentiebat; sed mira quadam ignavia noluit unquam, quasi divina Providentia statutum esset, ut *in extremis* se religioni curandum tradere deberet. Quod quidem ei contigit. Nam cum mense Ianuario anni MDCCXCIV graviter aegrotaret mortemque haud longe abesse sentiret, statuit operam dare, ut sacerdos ad se quam primum veniret. Sed cum convalescere coepisset, consilium mutavit; adeo religionis officia erat oblitus. Verum, cum iterum in morbum incidisset, tunc eum adflictum et examinatum ob doloris acerbitudinem in lecto iacentem Bouquet sacerdos, vir humanissimus atque doctissimus, adiit et multis cum lacrimis peccata confitentem audivit. Huic librum, de quo supra dictum est, poeta grato animo dicavit. Qui, cum dignum se tunc non putaret, ut Christi Corpus acciperet, omne tempus in Evangelio legendo consumpsit; ex quo cum verum, tamquam solem, splendescere cerneret, fidem et auctoritatem miraculis adiunxit, eo magis quod miram quandam morum mutationem in se ipso confectam esse intellexisset. Quod quidem superbi et impiorum homines irrideant atque contemnant; tamen hoc explicare nesciunt, cur verba Christi, humili atque inopis nazareni operarii, tantam adhuc vim habeant apud omnes gentes, quae neque barbarae sint neque incoltae.

Ceterum poeta noster cum multas alias, tum hanc ex illa diurna lectione utilitatem cepit, ut morbi dolorem silentio ferret.

« Quid vero mea interest? » ait ille. « Olim cum de senectute appropinquante cogitabam, totus horrebam: nunc vero, quoniam ob morbum multo ante tempus venit, eam non modo fortiter tolero, verum etiam, ut ita dicam, libenter et iucunde fero. »

Praeter autem Evangelium multos alios libros, qui sunt de praeceptis et institutis religionis, sibi legendos statuit. Quod si divina mysteria assequi plane intellectu non potest (cui autem id contigit?), a Deo petit, ut se submissius gerat. Is igitur ad Deum vehementer trahebatur; quare iv nonas novembr. Corpus Christi religiose accepit.

« At quid in poeta mutatum est, postquam ad religionis officia exequenda se restituit? » dixerit aliquis acri non sine quadam ironia. Quid mutatum? Hoc ille sibi persuasum habet, se quasi alium esse factum, non modo quod et mane et extreto diei tempore preces fundat, neque quod diebus festis in templo sacris intersit, sed praesertim quod cum voluptates suas temperantia frenet et domet, tum cotidie se meliore efficeret conetur. Praeterea non modo morbo (is enim nondum bene valet) neque morte, quae propter incertos vitae casus cotidie imminent, deterretur, verum etiam incredibili quadam dulcedine perfundi se sentit. Quam animi tranquillitatem cum ex conscientia rectae voluntatis ducit, tum ex adhuc Deo precibus, quibus nihil est dulcius, nihil suavis. Profecto animi medicina religio est!

Restat, ut pauca dicamus de libro, quem supra innuimus. Liber igitur nonnulla continet scripta iam singulatim per ephemerides edita, quae poeta subinde exaravit, morbo instante, et quibus suos religionis sensus commisit. Quos ut exprimeret, id scribendi genus assumpsit, quod italice *bozzetto* appellant. Nihil purius, nihil suavius est eius libri sermone, qui medium quiddam tenet inter solutam orationem et poesim; quare rationi satisfacit et ingenium excitat ita, ut semper poetae mentem declarat. Tamen, quoniam eum natura ad dulcissimos affectus exprimendos finxit, eae libri partes praeter ceteras laudandae mihi videntur, in quibus sensus animi motusque dominatur. Quid enim divinus inveniri potest, quam illa *Cloches et Lilas*, quae animum poetae vehementer movent et iuuentutis memoriam recordantur? Quid suavius, quam « Filii in matrem memoria » (*Souvenir filial*)? quid tenerius, quam « Puerorum preces » (*L'enfance et la prière*)? quid pulcherrimus (ne plura afferam), quam illud *La fête de Jeanne d'Arc*, ex quo summa caritas patriae eluet? Quibus in legendis hoc nobis contingit, ut magna admiratione afficiamur, elatiores fieri videamur et egregios quodam modo poetae religionis sensus ad nos pertinere arbitremur. Quare hic Francisci Coppée liber semper in manibus est habendus, qui cum ad recte sentiendum, tum ad animum delectandum et ad ornare scribendum plurimum valet.

DONATUS TAMILIA.

EX GALLIA

DE GALLIAE CONDITIONIBUS

IN PRAESENTIARUM

Dreyfusiana. — De loco Italis, Belgis ceterisque gentibus in *universa Expositione* constituto. — Omina et vota.

CREDO nunquam alibi fuisse gentem, quae, vel summis constituta temporibus, tot aerumnis conficeretur, quot nunc ista Gallia, cui populos suos et alienos alere, recreare, in meliora urgere, opibus et sanguine proprio iuvare oppressos, sublevare iacentes, urbanitate hospites accire, comitate retinere, pollere industriis, libertate uti, liberos velle reliquos, nihil ab aliis petere, sua libenter largiri semper in animo fuit.

Aut nos patria caritas fallit et oculos hebetat senium generis ac fatiscentia (quae duo plerique nobis inesse dicunt, ut

Impia perdamur devoti sanguinis actas),

aut hoc supremum discrimen impendet quasi quae-dam procella, qua crassus et pulverulentus aer iterum purus fiat.

Nam inficias ire non licet quoad ea quae caecus quisque inter nos digitis attrectat, ac proinde confitenda potius candide sunt, quam pervicaciter neganda.

Malorum omnium pessima, non modo urbes, sed et vicos, sed et familias discordia conturbat, et (inexplicabili modo) tanta pericula, tantasque calamitates unum tantummodo nomen in Galliam universam concessit. Dreyfus!

Hoc evocato, quasi Satana adsibilante, sexenta crimina eruperunt. Et vituperio exercitus obrutus, corrupti pecunia magistratus, facti rei principes ciuitatis, bilingues habiti proditorio scelere fere omnes dives, ordinum invidia conflata, periuria publica

passim b.
ritas; sim-

Quid
civile ali-
nostrates
ille impe-
quartus s-
cita, sext-
roli Mag-
praesuma-

Septem-
mis muni-
Quid reti-
considera-
singuli p-
Apocalyp-
ptem est,

Sed in
recreat
cumbera,
parentur,
ternationali

Hoc i-
sentientib-
coram fo-
in summe-
que videt

Ingens
utilitas po-
servanda,
nobis qui-
fices, qui
venient, re-
coram uni-
ostentatu-
tiones, co-

Ferve-
populo, tu-
res et adi-

Miratu-
ripa ad ri-
via, trans-
tente me-
nans sub-

Bina p-
palatia, un-
minus es-
ctum, fab-
que simu-
floribus l-
cula ad
coenatori-
est oculis
disponitu-

Vobis,
tutus est
vobis Mu-
satilem in-
igitur ne
Sequanae
mus, vobi-
candidis ac
in quibus

Ut qui-
occupant,
Vos cur i-

Nos (p-
et via (ia-

passim bacchantia, nulla denique fides, nulla securitas; simul haec nobis omnia lugubriter ingruerunt.

Quid si ira furorem, si furor arma ministret, si civile aliquod instauretur bellum, et simul omnes nostrates civili marte decernant? iam hic regem, ille imperatorem, tertius consulem et rempublicam, quartus socialistarum leges, quintus nihilistarum placita, sextus voltairianum atheismum, septimus Caroli Magni religionem et Aloysii IX mores tuendos praesumat?

Septem sunt castra disposita, nondum tamen armis munita, at, nisi Deus intersit, fortasse munienda. Quid retinebit armatos? Hoc unum spero, si quisque consideraverit se adversos sex habiturum, ita ut dum singuli pugnant universi vincantur. A quoniam? Apocalyptic tempora! Ab eo fortasse « qui de se ptem est, et ipse octavus est, et in interitum vadit ».



Sed inter haec me non modo securum facit, sed recreat cogitatio, qua nostros aspicio in illud in cumbere, ut omnia ad humanae industriae festum parentur, quod vulgo *Expositio universalis*, seu *internationalis* nominatur.

Hoc non humano, sed prope divino consilio, assentientibus exteris nationibus et hortantibus, et se coram fore spondentibus et interfuturas pollicentibus, in summo hoc reipublicae tempore oblatum datum que videtur.

Ingens hominum frequentia, ingens ex frequentia utilitas populum non dementem admonent de pace servanda, de quiete tuenda et hanc pacem et hanc nobis quietem imponunt tot eximii opifices et artifices, qui non mediocri dispedio undequaque convenient, res, industrias, adiventionesque suas Parisiis coram universo humano genere exposituri, ostensuri, ostentatur quoque, si placet, certe utilitatem, no tiones, commoda, pretium et praemia relaturi.

Fervet opus in apparandis mansionibus unicuique populo, tum iuxta singulas artes, tum iuxta singulas res et adinventa. Ab acu ad clavam, ab elephante ad murem suus cuique locus.

Miratur interea Sequana pontes audaci ferro a ripa ad ripam transmissos ut facilis ubique sit adeunti via, transitus obvius. Ponte centum ac decem patente metris hiatus magno, fluentum ad mare festivans subtus abit.

Bina palatia res accipient, sed haec potius quam *palatia*, urbes mihi iure nuncupandae videntur. Quod minus est, iam ad tholum et contignationem erectum, fabris murariis strepit tecta molientibus. Ubi que simulacra, fontes, viridaria, deliciosa nemoria, floribus halantia et redolentia suave prata, tabernacula ad musicae cultum, officinae, tabernae, aulae coenatoriae, coenacula, theatra, quicquid desiderabile est oculis, auribus, victui, omne congeritur iam et disponitur.

Vobis, qui ex Italia estis, iucundissimus constitutus est locus; atque id iure; nam iucundissimum vobis Musae fecerunt ingenium, et per omnia versatile indolem, perfusam suavitatem et gratia. Iam igitur ne dicatis nos in vestra tortis oculis contueri. Sequanae immens, quem nos *Quai d'Orsay* dicimus, vobis adscribitur locus, vestrisque rebus collaudis ac disponendis, ubi optimae apud vos artes, in quibus adeo excellitis, suo lumine coruscabunt.

Ut quid adhuc segnes? Reliquae gentes iam spatia occupant, et quae sunt aedificanda aggrediuntur. Vos cur inertes?

Nos (parce hospitibus) medii inter omnes erimus, et via (iam in ore Parisiensium impositum instinctu

populi percrebrescit nomen), via, inquam, « Adventus nationum », *Avenue des nations*, appellatur.

Belgæ et Batavi limpida et lucentia sua teeta, Suevi casas prout sunt ad horrentia illa semper furentis oceanii litora, muniunt; Germania pulcherrius quid maturat exstruendum, quale ad Rheni ripas habetur; Anglia castellum Bradfordense, a ducessa Kingston xvii saeculo erectum, hic iterat, lucullianas hereditarii principis coenas mox visurum; foederatae Americae respubicae quinque et quadraginta millibus metrorum spatiante aream petiverunt.



Vos autem, qui volvit animo aliiquid Romanum, festinate, et amphitheatrum, vel thermas, vel templum condite Concordiae sacrum.

Nonne vobis aequum erit ita credere, ad ea, quae pacis sunt, gentibus omnibus coniurantibus una?

Quid aerumnosum nobis, quid laetum, quid sperandum et speratum narravi. Vale, immo valete.

SENIOR.



LATINAE ADNOTATIUNCULAE

IN USUM TIRONUM

CUM Vox Urbis multos nacta sit lectores inter optimos illos adolescentes qui latinae linguae studio in scholis vel publicis vel privatis operam dant, gratam illis rem nos facturos esse existimavimus, si nonnullae interdum plagulae iis rebus dicarentur quae ad latinam grammaticam aut lexicologiam pertinent. Interim initium facimus ab hac adnotatiuncula in qua de latinis quibusdam vocibus accurate distinguendis sermo instituitur.

Sēdeo-sido; adsēdeo-adsido; consido; desideo-desido; dissēdeo-dissido; insēdeo-insido; obsideo-obsido; sub-sēdeo-subsido, etc.

Monendi sunt tirones latinae linguae ut diligentissime caveant a confundendis vocibus quae sunt a *sedēre* cum iis quae a *sidēdo* derivantur. Ut enim *sedēre* statim significat, sedemus nos in sedilibus nostris, in sella curuli magistratus, in solio rex, in equo eques, *sidēre* autem motum designat quo quis ante erectus efficit ut post sedeat, quod vulgo dicitur *porsi a sedere*, eadem ratione distinguenda sunt vocabula quae ex *sedēre* aut *sidēre* composita sunt. Sic adsidemus ei quem casus lecto affixit (cfr. Hor. Sat. I, 1, 82) ut fomenta paremus, et cetera aegrotanti utilia, at adsidēre oratorem dicimus postquam peroravit, dum surgunt alii ad verba facienda. Sic in Bruto Ciceronis eos qui sermonem erant habituri in pratulo consedisse (a *considendo*) legimus propter Platonis statum; et considunt iudices ad ius dicendum, considunt patres, oratores legibus ferendis, unde *consensus* illi efficiuntur, cuius aspectus populum commovet, et iure omnes commoveat, si iudices patresque quod bonum rectumque est in animo habeant et dignitatem suam tueantur. — *Desidēre* de ignavis potissimum dicitur; inde ea *desidēta* quam ut improbam Siren vivitandam esse ait Horatius (Sat. II, 3, 15), sed a desidendo derivetur illa *desidēta* maris, qua, ut habet Apuleius de mundo c. 34, regiones quaedam pedestri accessu perviae interdum fiunt, cum contra aliae abruptis imbris proflatae sint, aliae quae prius fuerant continentis hospitibus atque advenis fluctibus fuerint insulatae. — *Dissidēre* autem eae res quae inter se discordant, ut dissidet interdum scriptum a sententia, gestum a voce; et si dissidet impar toga haud bene apta, ut ait Horatius (Ep. I, 1, 96), rides, quid facies, mea cum pugnabit sententia secum? Contra narrat Suetonius Tiberium cum Iulia primo concorditer et amore mutuo vixisse, mox discedisse (a *dissidendo*), intercepto communis filii pignore qui, Aquileiae natus, infans

extinctus est. — Quid plura de hac re doceam vos, adolescentes? *Insidēt* oportet in mentibus vestris species quae dam castigatae latinitatis, et curandum est ut verba praceptorum vestrorum memoriae *insidēt*; cavete ab errorum *inādīs*; litterarum campum, ut ita dicam, *obsidēre* vos decet et exemplaria antiqua veluti in *obsidētione* habere, ut inde copiosae doctrinae *subsidētione* quaesito, omnia orationis vestrae vitia *subsidēt*, et cum munditia elegantiam quamdam latini sermonis consequamini.

F. R.

AN FLORUM USUS FUERIT IN EXSEQUIS

VETERUM CHRISTIANORUM

Q UAM recens in magnis potissimum urbibus mos invaluerit, ut defunctorum corpora curru funebri efferantur, currusque ipse non raro floreis coronis innumeris iisque ingentibus (longas lex XII tabularum vocabat) circum supraque onerentur potius quam exornentur, non pauci exstiterunt qui effusam illam ac sumptuosam copiam merito improbantes, huiusmodi usum in exsequiis prorsus damnarint atque abolendum censuerint. Aliis tamen alia sentientibus, ea subiit animum cogitatio, ut in mores antiquorum inquirerem, perspecturus num aliquis exstiterit florum usus apud christianos in suorum exsequiis. In exsequiis, inquam; nam flores ad sepulcra spargi consueveris, Prudentius, Ambrosius atque Hieronymus apertissime testantur. Nec audiendi quidam recentioris aevi scriptores, qui, nescio qua ratione innisi, affirmarunt id factum quidem aetate Prudentii, cum Christi fideles ab illa maiorum simplicitate descivissent, non autem prioribus tribus sanctissimae Ecclesiae saeculis. Quod profecto aut non scripsissent, aut certe retractassent, si coemeteria antiquorum christianorum ad Urbem invisere, si cryptas, cubicula, arcosolia intueri, eaque pictis ornata floribus omnium generum sive sparsis et solutis, sive innexis et insertis, sive in coronam coactis videre potuerint. Quodque magis ad rem facit, inspessent vetustissimas coemeteriorum regiones non minus ornari appictis floribus quam recentissimas quintoque saeculo propiores: imo vero eas et numero et artificio his mirum in modum antecellere. Ex quo intelligitur unum eundemque morem fuisse christianorum qui prima aetate vixerunt, et aliorum qui deinde subsecuti; pristinam utrique consuetudinem spargendi flores frondesque ad tumulos dormientium in Christo servarunt. Quis enim sibi suadeat, quorum sepulcra tanta depictorum copia florum exornari cernat, eisdem nullum nativorum florum quos terra gignit usum fuisse?

Verum si quaestio de usu florum ad sepulcra facile absolvitur, non ita quae de ipsorum usu in exsequiis. Nam sive ex litteris sive ex monumentis testimonium quaeras, quod aperte manifesteque rem declarat, invenies profecto nullum. Ergo per conjecturam querendum.

Ac primo quidem ea quae de floribus ad sepulcra appictis modo notavimus, ad flores in exsequiis pari ratione deduci posse nemo non videt. At iis omissis, unum praecipue animadvertisendum puto: christianos veteres in suorum funeribus ea omnia humanitatis ac pietatis officia erga vita functos retinuisse, quae ab ethniciis absque superstitione aut dedecore praestari mos erat. Inter cetera oculos defuncti claudere, lavare corpus, aromatibus condire, laudes pro concione celebrare, cum cereis facibusque funus effere. Porro ista praestabant ethnici, neque christiani omittebant, imo haec ipsa adeo diligentiori ratione ab his servata, aliaque etiam ad funerum dignitatem

addita esse existimabimus, si fides habenda est Iuliano cognomento Apostatae, qui in epistola ad Arsacium querebatur, christianam superstitionem (sic appellabat) ideo mirifice creuisse, quod eius sectatores praecipuam singularem erga mortuos curam adhiberent. Quapropter si quis, inquam, usus florum, a superstitione tamen remotus, apud ethnicos fuerit, qui certe fuit, nulla iam videtur causa afferri posse, cur ab eo christiani abstinuerint. Atqui praeter floream coronam capitii adnexam (a qua iure merito christiani abhorrebat, utpote idolatriae certo signo: eo namque ritu mortuum corpus non secus ac idolum consecrabatur) spargebant ethnici flores et coronas in feretrum ipsum, ut factum esse in funere Virginiae atque cuiuspiam alterius Romanorum legimus. Ergo et tantumdem, cum dignitate tamen ac moderatione, a christianis factum esse concedendum sane videtur.

Ethnici quidem id unice christianis exprobabant, quod coronam capitii denegarent seu vivorum seu mortuorum: de cetero florum usu nil videntur habuisse quod vitio verterent.

Unde arguere licet, christianos quoad alios florum usus cum iis consensisse. Itaque cum in actis martyrum lego, eorum funera cum triumpho magno deducta esse, non video cur huiusmodi triumphos sine floribus fuisse censem. Quid enim in triumphali pompa solemnius atque usitatus quam florum honos et copia (1),

Undique tactato flore tegente vias?


At enim, dixerit quispiam, fumebres pompas nullas fuisse apud priores illos christianos, qui persecutionibus exagitati, fere in tenebris delitescebant: aut si forte bonus florum habitus martyri, non inde colligi ceteris etiam collatum. Nam quoad primum satis sit animadvertere, quidquid leges contra christianam religionem statuerent, easdem aliam prorsus rationem de omni genere funerum habuisse: neque ethnici christianis fuisse exprobatur, quod floream coronam mortuorum capitii non adneceterent, si nullum publice funus ductum fuisse: quoad alterum vero meminerimus, cultum religiosum erga martyres non haber, antequam hi legitima Ecclesiae auctoritate essent probati, aut, solemissi ut verbo utar, *vindicati*. Illas ergo exequias martyrum nuper occisorum si forte floribus ornatas concedimus, in aliorum quoque Christi fidelium funeribus, multo parcus tamen, habitum huiusmodi honorem concedamus necesse est.

Sed iam iusto prolixior excurrit sermo: neque spatium scribenti sufficit ad reliqua, etsi non multa, exponenda. Illud autem omnino hic videtur addendum, hunc morem adhibendi flores in ipsis exsequiis cito desiisse: secus vix intelligi potest, quomodo inter tot christianarum rerum scriptores nullus existenterit qui de ea re aperte mentionem fecerit. Quod autem monumenta nihil prae se ferant aperte ac manifeste idem testantia, nil mirum; quum Romae et ethnici simul et christiani nihil ad sepulcra sive pinxerint sive sculpsierint, quod re ipsa modum rationemque exequiarum exprimat.

Ceterum, qualiscumque florum coronarumque usus ad sepulcra et in exsequiis veterum christia-

norum fuit, qui id ceteraque pietatis officia circa suorum defunctorum corpora ea mente potissimum faciebant ut fidem resurrectionis assererent; non inde tamen se tueri posse existiment, qui neglectis sacris divinis, eleemosynis, precibus ac salutaribus quibusque operibus (que maxime illi antiqui praestabant) in refrigerium animarum aptissimis, uno hoc honore florum contenti, Deo se et hominibus et suis caris defunctis satisfecisse arbitrentur. Pammachium imitentur de quo apte Hieronymus: « Ceteri mariti super tumulos coniugum spargunt violas, rosas, lilia floresque purpureos; et dolorem pectoris his officiis consolantur. Pammachius noster sanctam favillam ossaque veneranda eleemosynae balsamis rigat » (1). Imitentur Ambrosium, qui in obitu Valentini se floribus omnibus anteponere profitetur divinam Victimam. Inquit enim: « Non ego floribus tumulum eius adspergam, sed spiritum eius Christi odore perfundam. Spargant alii plenis lilia calathis. Nobis lumen est Christus. Hoc reliquias eius sacrabo » (2).

Iure igitur germani Christi fideles luxuriem hanc



Aquaeductus prope Romam.

florum non multis abhinc annis inductam in exsequiis exprobrant, nec desunt qui suos rogant, ne sinant se demortuos, suspensis feretro coronis efferriri; ideo quia videtur consuetudo haec dolo malo fuisse intromissa, ut flores sacrificio, precibus et ceteris Ecclesiae castissimis ritibus subrogarentur. Quod si qui sibi temperare omnino nequeant, quin ad solatium vivorum et defuncti honorem unam alteramve adducant coronam; eos vehementer hortamur ut corona ipsa signum quoddam vexillumque fiat christiana fidei adversus fraudulentia consilia, nefariam impietatem, apertamque violentiam: cedatque in laudem divini servatoris Iesu Christi ad instar Constantini monogrammatis, in quo medium Christi nomen corona redimitum radiabat, docebatque in Christo esse victoriam nostram, nostramque in coelo coronam Christum esse.

I. BONAVENIA.

(1) HIERON. Epist. XXVI ad Pammach. de obitu uxoris, cap. 2.
(2) AMBROSIUS, De obitu Valentini., p. 12.

Medio de fonte leporum
Surgit amari aliquid, quod in ipsis floribus angat.
(LUCR. 4, 1115).

Ludus animo debet aliquando dari,
Ad cogitandum melior ut redeat tibi.

(FED. 3-14).

(1) OVID. IV Trist. 2, 50.

GUSTAVE ZÉDÉ

NAVIGIUM IN MARE NUPER DEDUCTUM

In nostri temporis diarii plura sane admiranda referuntur de quadam novo navigio per electricam vim sub mare natante, de quo coram reipublicae moderatoribus factum est nuper in Gallia periculum. Et ipsa gallica diaria quae ad nos pervenient, singillatim de re plura continent.

Novum navigium, cui nomen *Gustave Zédé* praefecto navibus ornandis, qui anno MDCCCLXXXVI primam id genus navem aedificavit, suum fecit periculum per hos dies in freto inter Galliam et Aerarum insulas tum tranquillo mari, tum aestu agitato; modo omnino undis obrutum, modo vix curvatura superiore emergente.

Pernicitatis maximum est illi sex, ut aiunt, nodorum in singulas horas; sed certum est etiam plures posse transcurrere, dummodo pressio augetur, quod hoc primo specimine tentare haud visum est opportunum.

Novi autem inventi factum periculum non amplius septuaginta sex chilometrorum spatio: verum hoc satis fuit ad eius omnimodam firmatatem demonstrandam, quum nihil detrimenti in accumulatoribus repertum sit: qui autem illud concenderunt, solidum atque ad habitandum idoneum affirmarunt.



Si de operis successu questionis instituatur; quod attinet ad firmatatem et militarem usum, omnis laedendi vis in hoc navigio explicatur per torpedines, quibus ab aliis similibus minime differt. Ex periculo super navim loricatam *Magentam* instituto, et quod prospere evenit, com-

pertum est, ipsum sub aquis nec conspici nec ictibus pertingi posse. Hac de causa ad maris superficiem enatandam non adhibetur nisi quum ab insidiis et discrimine omnino tutum videatur.

Unicum temporis momentum ad appetendum, quum suas torpedines emissurum ab undis emergit. Sed collineare perarduum. Liquet enim a loricata navi deprehendi non posse quod sub aqua latet nisi circiter ad bis mille metrorum intervallum. Attamen est aliquis defectus in hoc, cui posse in posterum consuli confiditur.

Alterum vitium, quod quovis spiraculo et foramine caret, quod cogit navarchos rem gerere in tenebris. Verum iam de aptando ipsi periscopio agitur, ut quodlibet in punctum per specula optica et prismata radiorum solis repercussio conveniat.

Ceterum navigium *Gustave Zédé* non adhuc exhibet quod perfectissimum de navigiis sub mare natantibus excogitari potest; habendum potius ad tutanda litora magis idoneum quam ad aggrediendum loricatas naves. Tamen in torpedinum molitione aliquem signat progressum.



Interea acriter Caesaris Burgi ad alia navigia aedificanda, *Narvalum* nimurum et *Morseum*, intenditur: alterum ad defendendum, ad aggrediendum alterum instructum. Sexcenta quinquaginta millia argenteorum gallicorum pro impensa statuta.

LAELIUS.

DE IUDAICA GENTE IN EUROPA

GUILLEMUS Ripley in *Appleton's popular Science Monthly* plura scribit de populo Iudaico, quae cum a nostris et rebus et temporibus non abhorreant, si non iucunda, saltem perutilia fore lectoribus spero. Tenemus enim memoria quot et quantae praesertim in Gallia coortae fuerint dimications intestinae quidem ob Dreyfus ducem nefarii sceleris accusatum, re autem vera ob invidiam Iudeorum conflatam.

Ne autem nimis oratio vagetur mea, iis tantum definiatur argumentis, quae ex americano sapienter excerpta in *Minervam* commentarium migraverunt.

Primum omnium constat eiusdem nationis coniunctionem pluribus contineri rebus in quibus recensentur communia, sermo, religio, consuetudines, certa regio, horum similia deinceps. Sermo et religio et consuetudines sunt eius generis quae potius inter animorum vincula adnumeres; postrema vero condicio ad omnes in unum coniungendos plurimum valet.

gari se nunquam passi sunt. Ad haec, si formam et quasi naturalem corporis notam adiungimus, facile intellegimus qua de causa centiens centena milia hominum ita coniungantur inter se ut res publicas totius terrarum orbis perturbent. Nunc spem alunt certissimam se instauratos regnum Iudaicum suisque legibus aliquando tandem usuros. Hoc ut perficiant magnis itineribus se committunt atque novas deducunt in Palaestinam colonias pecunia a Rothschild data fenori.

Sed ad eorum numerum redeamus. Tot cum fere sint quot supra dixi, uti ex tabulis publicis terrarumque descriptionibus deprehendimus, dissimili tamen ratione sparsi ac disseminati reperiuntur. Pauci Africam et Oceaniam incolunt, complures Americam cuius in urbe principe ducenta quinque milia Iudeorum sibi domicilium constituerunt, plures vero in Europa Russiam et Austriam. In Hispania, quae quasi officina Iudaici populi a scriptoribus de commenticiis narrationibus habetur, ob veherentissimas insectationes exeunte saeculo xv exortas, perpauci admodum supersunt.

DE IUDITH TABULA PETRO ALDI AUCTORE

In magna ad aedes Vaticanas ostensione munerum, quae
totius orbis principes populi catholici Leoni XIII
Pont. Max. amoris ergo, devoto libentique animo mise-
rant, anno quinquagesimo vertente a sacris ab ipso pri-
mum litatis, ingens tabula (quam hic aere incisam in-
tuemur) ad se omnium rapiebat oculos.

In ea Iudith, mulierum fortissima specieque decora, digna profecto omnium laude gentium, depicta conspiciebatur, quae, summo mane, de eminentiori loco Bethuliae civibus militibusque urbem tuentibus, stupore atque admiratione percussis, obtruncatum ducis Assyriorum caput ostendit.

Insignem tabulam coetus matronarum, quibus a sacratissimo Iesu Corde nomen est, Petro Aldi, eximio aetatis nostrae artifici, pingendam commiserat, eidem qui, omnium pictoriae artis cultorum plausu, aliam perficerat tabulam, *Senarum libertatis extremi dies*.

Illae vero in pignus amoris ac devotionis egregium



Petrus Aldi pinxit.

Quamquam nemo ignorat locum certum, optime natura munitum, definitum maribus obtinere Italos, quibus adhuc animorum consensio deest. Ex contrario Isaac filios, quos vocant, populosque errantes, italicō nomine *Zingani*, cum sedem certam habeant nullam, in patriis tamen institutis ac moribus manere scimus omnes.

Verum populus Iudaicus hoc habet omnino proprium ut speciem quamdam nationis aliis interiectae efformet, contumelias lacescit, hinc illinc expulsus, in terris disiunctissimis maximeque diversis, isque solus. Atque id eo vel maiorem facit admirationem, quod in tanta rerum varietate locique, patro sermone, tanquam incommoda veste, deposito, multa iam saecula ita sibi constat et cohaeret, ut ex disiectis membris quasi conglutinati unius corporis formam praebeat.

Nam in Hispania, ubi *Marrani* media quae dicitur aetate vocabantur, in Dacia aliisque Europae partibus quae in solem orientem spectant sermonem usurpant hispanicum; apud Sarmatas ac Polonos corruptum quadam germanice loquendi genus; arabica in Mauritania, in Italia italica plerumque voce utuntur.

At, meis verbis dico, si in usu forensi et cotidiano eiusdem linguae societate non coeunt, in rebus tamen divinis iisdem fere verbis Deum venerantur ac maiores, duce Moyse, consueverunt. Praeterea Iudei, natura singulari quadam providentia datum nescio, alienae consuetudini per speciem obsequentes, externis moribus obli-

Amoenitates ruris eorum animos nihil trahunt, quippe qui agri culturam omnemque corporis laborem fastidientes tota mente ad negotia et pecuniarum rationes incumbunt. Ex quo fit ut Londinii, Berolini, Vindebonae, Francfurti, in quibus negotia non desiderantur, mirum quantum argentaria faciunt.

Ad corpus quod attinet, hoc est proprium Iudeorum et praecipuum ut minori sint statura quam reliqui in universum populi. Qui cum differant inter sese atque alii alios proceris corporibus superent, medium quid tenent omnes quod illi non attingant. Latera autem quae in fabrica membrorum dimidiata fere partem totius corporis constituant, quamquam hoc non viribus naturae, sed extensis est causis tribuendum, tam exigua sunt quam ut non magis in ceteris.

Inquis his condicionibus quis credat diu vivere Iudeos neque alias esse gentes quibuscum diuturnitate vitae comparentur? Quod si rem perpendere velimus, reperiemus profecto curam lege praexceptam cibi molumque in potionē ex alcool quodammodo facta id efficere, ut nec tabe nec iecoris vitio laborent. Contra sunt medici arte insignes qui dicant illos prae aliis civibus in insaniam incidere. Ceterum eius generis insaniam est uae ad necem voluntariam non compellat, sive quod religione prohibentur, sive quod abiectione animi retardantur.

B. NELLI.

opus Pontifici obtulerant, quod in aedibus Vaticanis im-
praesentiarum servatur.

Puto equidem novum admirandumque Iudith effingendi modum, feliciter ab artifice excogitatum, ab eo felicius absolutum fuisse.

Etenim, praeterquam personarum exempla perfectissima, apti vestimentorum mores urbisque situs, unde subiecta in planicie hostium castra cum distentis tentoribus cernere licet, spectantium oculos ad se rapit incomparabilis mulier, sereno vultu de tetrico duce triumphans, ipsaque perbelle delineata scoena aequis vividisque coloribus atque arte magistra.

Sane alias etiam praestantium artificum tabulas idem
praeclarum facinus referentes, praesertim Romae, libet
admirari, uti quas Bonarrotius, Titianus, Guido, Ghe-
rardus *a noctibus* nuncupatus egregie pinxerunt. His
tamen Petri Aldi opus non minoris esse ducendum exi-
stimus, praesertim totius rei disponendae novitate,
qua omnino distinguitur.

I. CACCIOLI.

[View all posts](#) | [View all categories](#)

*Crescentem sequitur cura pecuniam,
Maiorumque fames. Multa potentibus
Desunt multa. Bene est, cui Deus obtulit,
Parca, quod satis est, manu.*

(HOR. *Lyric*, III, 16).

tabula suscepisset, nempe primum decem labentibus horis, postea viginti una minus, comperuit ibi numerari duo stellarum millia ac centum quinquaginta tres, quarum 961 fortius ac vehementius potentiori ac vehementiori lucis potentia depingebantur, 1192 remissioribus radiis apparebant impressae.

Hinc etiam innuit, quod antea delitescebat, quoad hanc nebulosam; nam quae sensim quasi deliquescente luce videbatur, atque in coelestia spatia gradiens quasi exinanita perire, nunc fulgidis limitibus circumscripta cognoscitur, atque solare schema exhibet certum ac definitum, in quo studia sine aberratione versentur, suis procedens legibus, suisque utens, et unum quoddam praeserens integrum atque completum, quod motu praeditum tali est, ut singulis momentis secundis quatuordecim per millia passuum anglice dimetienda ac aestimanda gradiatuer.

Age nunc, fare si valeas et ostende quo ruat hic astrorum globus, ac legio ista centurionum coeli militia, tot solibus quot sunt sidera constans, quorum unicuique totidem adstant planetarii satellites (minimum dicimus) quot soli adstare nostro videmus?

Coram his qualis atomus homo, qui iam atomus ineffabilis est si comparetur tantum orbi terrarum! At tamen quantus est homo, qui haec immannia intellectu comprehendit, quae dum comprehendit necesse est ut comprehensio longe maior habeatur?

Quaenam vero est illa potentia, quaenam illa sapientia quae iussit, quae dispositit, quae ornavit haec omnia, quae loca praeparavit, in quibus essent et moverentur?

Quisnam finis, quae meta mirabilium tot rerum? An solitudo? An desertum Illi, qui guttam aquae tot habitoribus cumulavit?

Proculdubio «Caeli enarrant gloriam Dei», sed nos, gloriam scrutantes, opprimimur gloria.

H. DE VECCHI-PIERALICE.

BACCHANALIA ROMANA UT OLIM CELEBRATA, UT NUNC

*Ludos innocuos praemittere Roma solebat
Hebdomadis, quas esuriales
Relligio statuit, Christi memor esurientes.
Ludicra tunc, at honesta, palebant
Civibus, hospitibus spectacula, saepe novata.
Urbis erat via quaeque referla
Larvis, quae varia risum ratione movebant:
Os aliis fuligine nigrum;
Frons aliis cornula; aliis turgentia labra,
Effuso diducta cachino.
Auriculas asini praelongas docta iuventus
Gestabat, vel sesquipedalem
Nasum, quo veluti prora diffinderet auras,
Haud aliter, quam navita pontum.
Omnibus at scenis erat illa facetior, in qua,
Oppositis dorsis, iuvenum par
Unius in tergo miseri recubabat aselli;
Posterior cum saepe prior,
Adfrictas caudae, tacitus proferret osellas.*



*Sed quae pauperies hodiernam
Dura premis Romam, prostravit in Urbe leporem,
Cararum sub pondere fessum.
Si quis ludit adhuc, haud raro cruda pudori,
Cruda sacris fert vulnera rebus.*



*At sua bacchanalem nuper petulantia quemdam
In poenas coniecit acerbas.
Hic, stygio velut igne satur, cacodaemonis ustam
Induerat, mala simia, formam:*

*Igne rubens illi petasus, femoralia rubra,
Rubraque plus fornace lacerna;
Haerebant capiti duo cornua; pendula dorsum
Ornabat prolixaque cauda.
In medio stans ille foro, blaterabat inique;
Cumque via vidisset eadem
Adventare virum, cui religiosa cuculla,
« Huc oculos (adstantibus ait),
Huc vigiles animos intendite, quotquot adestis:
Me Satanam, mea cornua bina
Vir premet ille Dei, complexu laetus amico ».
Cui monachus: « Placet illa premendi
Condito; dextras igitur stringamus, ut optas ».
Vis inerat manui digitisque
Tanta quidem monachi, quantum vix ferrebat forceps
Explicit. Hinc Satanas ululare,
Hinc torquere caput, tritoque simillimus angui,
Huc illuc convolare corpus,
Interrea clamans: « Miseri miserere, nec ultra
Excrucies peccasse dolentem ».
Forcipe iam tandem laxata, turbinis instar,
Scurra fugit, fugiensque galerum
Cornigerum serit et laceram per compila caudam
Haec vicit lutulentia tropaea
Ludibrium pueris permittit, donec olentes
Colligat exuvias quis Hebraeus.*

FRANC. X. REUSS.

GRATIUS COLUMBIANORUM ANIMUS IN CHRISTUM IESUM

COLUMBIANAE reipublicae principes, in celeberrimo conventu nuper habito, legem omnium consensu tulerunt, ut in catholicorum templo urbis Bogotá monumentum Iesu Christo beneficiorum gratia in Columbianum populum, hoc exeunte saeculo, poneretur, quo grata in eum significaretur voluntas. Idem maxime Columbianos hortati sunt ut Deo precationem continuam perpetuamque facerent, ne posthac divinum eos auxilium deficiat.

Ex omnibus contionibus, in quas populares oratores convenient, una Columbianae gentis sollemne praebet testimonium cultus atque venerationis SS. Redemptori D. N. eiusque in terris vicario.

Qua de re cum excellentissimis illius nationis viris magnopere gratulamur, spe confisi ceteras res publicas eorum exemplum esse imitaturas. Neque enim cives tantum et familiae, sed civitates, regna, imperia, nationes quoque omnes referre debent gratias pro beneficiis innumeris quae humano generi largitus est propter divina mundi redemptoris merita. Quidquid boni assecuti sumus ei bonorum omnium largitori debemus, ab eo solum sperandum est fore ut cuiusque generis rebus prosperis in posterum frui possimus.

Ad verbum transcribimus legem, quam commemoravimus, cuius exemplari Domini natalibus perducem Velez clarissimum virum, ad Sanctam Sedem civitatis personam gerentem, munerari S. D. N. Leonem XIII illa nobilissima contio constituerat.

Ita iacet:

« Caput I. Hac lege respublica Columbianae hoc extremo saeculo beneficiorum memor, quae centum abhinc annos accepit, ex quo liberae nationis vitam agere instituit, divinam Iesu Christi auctoritatem fatetur eique maximas agit gratias pro singulari in civitatem favore.

« Caput II. Ad perpetuam huius bene facti memoriam, quo Columbianorum admirabilem in Deum

amorem testificamur, Antistitis christiana reipublicae praemiso consensu, in cathedrali templo Bogotá urbis ponatur monumentum.

« Caput III. Unum huius legis exemplarum Sanctae Sedi personam apud nos gerenti, alterum reipublicae ad Vaticanum procuratori exhibeat, ut melius innotescat qui animus noster sit erga Sanctam Sedem, eique praecipimus ut Leoni XIII pontifici maximo Columbianae nationis nomine maxima cum voluntate et obsequio offerat.

« Caput IV. Ad munus explendum, quod hac lege suscepimus, in aes publicum sumptus incidet, quum rationem dandarum acceptandarumque rerum duxerimus ».

N.



ANNALES

De basilica Hierosolymae inventa. - Pro pace. - De munitionibus gallicis in Barberia. - De pacto sancito inter Angliam et Aegyptum. - De rebus africanis.

Ex litteris D. Zaccaria antiquae artis, quam archaeologiam dicimus, peritissimi doctoris ab Hierosolyma missis haec accepimus:

Mensis Ianuarii nuper exacti initis, dum loci situi nomine *Dormizione* donato effodiuntur fundamenta, ex ea parte quae ad meridiem et orientem solem vergit, antiquissimae repertae sunt reliquiae ad basilicam triclinii vel potius coenaculi pertinentes, longitudine novem et viginti passus duosque fere pedes (= m. 44), latitudine octo et decem passus et tres circiter pedes (= m. 33), tresque aedis aliae.

Inter cetera columnae fragmentum effossum est, longitudine septem ferme pedes (= m. 2) et diametro cubitus quasi tres, quod basilicae Constantianae reliquiis a Nativitate nuncupatae respondet.

Inventi praeterea sunt lapides magnae molis quadrati, quos iudicamus mediae alae cum fornice olim fuisse, ubi antiqui scriptores sacrarium collificant quod *Dormitionem* dicunt. In posterum effosionibus peractis omnia in lucem ventura speramus.

Quod quidem inventum apud templum maximum in Sion, si, ut sperare licet, confirmetur factis, omnes catholicorum laetitia afficit animos. Innumeris enim post annis locum sanctissimum recuperare poterunt in quo Eucharistiae sacramentum fuit institutum.



Nondum satis compertum est, quidquid dicunt ephemeredum scriptores, utrum Sanctae Sedi legatus ad conventum accedat necne de pace universa firmanda et de armis deponendis.

Interim Muravieff illustris comes, qui rebus exteris moderandis Russici imperii, die 11 mensis Ianuarii iam elapsi litteras circum regna totius Europae dimisit, quibus, si supremis rerum publicarum moderatoribus videtur, in eo conventu maximo concludit haec esse disserenda:

Spatium temporis, omnium consensione, condicatur, quo nulla natio terra marique copias nummariasque militum rationes augeat: simulque opportuni exquirantur modi, quibus in posterum cum exercitus et classis tum expensae ingentes imminui possint.

Prohibeantur vulcania arma, iniciendae in hostem materiae, pulveres, quos nominant pyricos, funestiores quam qui modo adhibentur, nondum excoxitata.

Imponatur modus in terrestri bello materiae periculose; impediatur ne ex folliculis per aera vagantibus tormenta bellica demittantur.

Machinae sub mari arceantur, quae a torpedine pisce nomen sunt mutuatae, aut inventa eiusdem generis, quae damna afferre possint: nusquam gentium aedificantur nova rostra. In praeliis navalibus pactiones serventur, anno 1864 Genevae constitutae ac capita adiecta anno 1868.

In neutram partem considerentur naves servatrices in pugnis aut post pugnas.

Quae ad leges et consuetudines belli anno 1874 Bruxellis in urbe sancita pertinent, perpendantur et examinentur.

Nemo cuiusvis supremi velut iudicis a contenditibus electi sententiam, neque intercessionis munus recusare possit, quod ad evitandum bellum nittatur: de ratione et via in re postquam utriusque partis per cibrum transmissae sunt causae, nulla dissentiat natio.

★

Tunete in Barberia nuntiantur munitiones quam maxima, quae praecipue Bisertam tegant ab hostium maritima incursione, qui hostes aperte designantur Angli.

Galli autumant res in peius ituras et vere proximo bellum fore, quod ab imis mutet conditions civiles illarum regionum, si e pugna victores Angli discesserint.

Sortes ipsae maris interni, quod ad Europam pertinet, incertae manent donec difficultates endentur ortae his extremis temporibus inter Angliam et Galiam quae sibi invicem invident.

★

Inter Aegyptum et Angliam pactum sancitum fuit de regione Sudanensi administranda.

Scriptores rerum civilium magnopere rem commendant et sperant maxima commoda obvientura illis gentibus, Europamque gratam fore Britanniae vindici humanitatis cultusque civilis locis, in quibus barbari immanes, vulgo *Mahdisti*, impune hucusque grassati sunt.

Legati ad pactum confirmandum fuerunt Boutros praefectus aegyptius rebus externis administrandis, et Cromer procurator britanicus ad negotia civilia apud Aegyptum. Octo definita sunt capita quae ad pactum spectant:

a) Vexillum sudanense insigne quoque prae se ferat Aegyptii regni et Britanni, Suakim autem proponatur tantum vexillum aegyptiacum;

b) Praefectus a principe aegyptio (*Kedive*) creetur, adprobantibus Angliae rectoribus;

c) Alienigenae nullis peculiaribus iuribus in Sudan utantur;

d) Procuratoribus ad negotia civilia, quos nationes mittere solent, ne liceat officia iuraque exercere absque Britanniae beneplacito;

e) Turpis hominum permutatio ubique vetetur in regionibus africanis ab Anglia occupatis;

f) Rerum importatio in Sudanenses regiones libera portoriis esto, dummodo tamen merces iter faciant per agrum aegyptium;

g) Armorum et a vino per ignem expressi humoris negotiatio aequa fiat ac sancitum fuit in contione habita Bruxellis a nationum legatis postridie kal. iulias anni millesimi octingentesimi nonagesimi;

b) Magistratum iurisdictio coalescens ex iudicibus anglis et aegyptiis in urbe Suakim tantummodo ius dicat.

★

Maconnen praefectus (*Ras*) certiorem fecit Martini italicum Erythraeae praefectum conciliatam esse pacem inter se et Mangascia.

Nuntii insuper ferunt negotia civilia in Africa italica esse satis tuta. Ob quam rem omnis abest suspicio belli agendi vel cum Menelichio Abyssiniae imperatore (*Negus*) vel cum eius praefectibus (*Ras*).

Quod erat valde in votis.

EGNATIUS.

ACTA SANCTAE SEDIS

Litterae gratulatoriae Raphaeli De Courten et Iosephi Gualandi. - Indictio iubilaei. - Conventus patriciorum romanorum apud Pontificem. - Responsa super quaestionibus maximi momenti. - Monitum ad Ordinarios Italiae. - Regulae de usu linguae palaeoslavicae.

RAFAELEM De Courten comitem, unum ex primis ducibus militiae romanae, dum nonagesimum annum est expleturus, Pontifex cum litteris gratulatoriis, Equitem Pianum renunciavit.

Explenti autem Iosepho Gualandi canonico Bononiensi annum quinquagesimum ab inito sacerdotio, Pontifex, per Breve, item gratulatur utpote viro de Ecclesia optime merito, qui una cum fratre, iam vita functo, domum Bononiae auribus et lingua captis aperuit, virosque et mulieres huc illuc coegit, qui miseros illos aliorum ope destitutos curarent, sovergent, patriae utiles Deoque amabiles efformarent.

Ψ

Nunciatum est a Natali Domini Iesu omnes fidèles lucrari posse ubique indulgentiam quae dicitur *in forma iubilaei* qualis concedi solet vigesimo quinto quoque anno.

Ψ

vii kalend. februar. Pontifex patricios urbanos vota consueta proferentes verbis solemnibus est adhortatus ut in fide maneant pravisque cupiditatibus abstineant.

Ψ

EX S. R. ET U. INQUISITIONE

Pro-Vicario Generali Utinensi quaerenti utrum vigeat adhuc poena excommunicationis in eos qui pecuniarum summas ex fideliū eleemosynis collectas pro Locis Terrae Sanctae et ad eadem sacra Loca spectantes apud se retinere audent vel praesumunt, hoc responsum datum: «Constitutiones Summorum Pontificum contra occupantes et detinentes eleemosynas et bona ad Loca Terrae Sanctae spectantia omnino vigere: non tamen censuras latae sententiae, nisi eas quae comprehenduntur in cap. 11, Sess. 22 de ref. Concilii Tridentini». Hi autem censura plectuntur qui «alicuius ecclesiae aliorumque piorum locorum bona, emolumenta seu quascumque obventiones quae in ministrorum et pauperum necessitates converti debent, in proprios usus convertere, atque usurpare praesumpserint, seu impedire ne ab iis, ad quos iure pertinent, percipiatur».

Ψ

EX S. CONGREGAT. DE PROPAGANDA FIDE

Litterae redditae sunt Episcopo Campivallensi, quibus ad memoriam revocatur norma impertiendi sacramenta et sepulturam ecclesiasticam adlectis in Societas proscriptas; quas inter recensetur anglica *Old Fellows*. Nempe, Societatibus istiusmodi adscriptis, si sint notorii, neque sacramenta, neque exequias, neque ecclesiasticam sepulturam concedi posse, nisi debita retractatione emissa, per absolutionem Deo et Ecclesiae fuerint reconciliati. Si quando vero iidem morte praeventi retractationem rite emittere non

potuerint, nihilominus ante mortem signa poenitentiae et devotionis dederint, tunc poterit eis concedi sepultura ecclesiastica, vetitis tamen ecclesiasticis pompis et solemnitatibus exsequiarum.

Item moniti Ordinarii Italiae ne ad sacros Ordines promoveant clericos ex aliis nationibus, maxime Polonos, qui careant litteris sui Ordinarii, neque eos Episcopis Americae commendent, nisi annuente Consilio de Propaganda Fide.

Ψ

EX S. RITUUM CONGREGATIONE

Regulae constitutae de usu linguae palaeoslavicae in sacris, quibus privilegium, quo plures iam gaudent, ratum habetur, definitur et componitur cum consuetudine legitima fidelium eorumque votis.

THOMAS.

LOGOGRIPHUS

Deme *pedem*, gerent olim dum bella Quirites,

Hoc grave lixaram terga premebat onus.

Pes solus, capiti vel si praefigitur, ambo

Importuna solent non semel esse tibi.

Iamque *pedi* rescinde pedem, curtoque subinde

Junge *sinum*, dorso te vehet ipsa suo.

Velle *sinum*, dabitur quo possis ducere saevum,

Prædia si placeat visere ruris, equum.

Linque *caput*, veterum modo sit fabula verax,

Vir satus herculeo sanguine detegitur.

Integra quid res sit, dicant tibi florea serta

Et spicae, tua ni dixerit ipsa manus.

C. DE ANGELIS.

Ex sociis qui huius logographi interpretationem ad commentarii moderatorem miserint intra duos menses, unus, sortitus, gratis accipiet librum egregium, magnificis exornatum figuris, cui titulus:

FRA ANGELICO DE FIESOLE

SA VIE ET SES TRAVAUX

par ÉTIENNE BEISSEL, traduit de l'allemand par JULES HELBIG.

Solutions acenigmatum tertii numeri sunt:

Cor-olla.

Sal-ve.

Eas miserunt multi; sociorum autem haec sunt nomina:

Excell. Antonius Grasselli, Archiepiscopus, *Viterbo*; Excell. Petrus Monti, Episcopus, *Tibure*; clarissimi viri L. Provost, *Santo-Brioco in Gallia*; Aloysius Cappelli, *Sena Italia*; Car. Wandering, *Magon Monte in Belgica*; Heribertus Augustus Strong et filii duo academicci, *ex Anglia*; C. Allagnat, *Gratianopolis in Gallia*; P. Fr. Reuss; Eduardus Bianco; M. Esendero, Barchinonensis, Seminarii scholasticus, *Roma*; Donaldus Macrae, *Mause Lairg in Caledonia*; Adulphus Artioli, *Ferraria*; Amedeus Saint; Aemilius Chatelain, *Lutetia Parisiorum*; Robertus Goffard, *ex Belgica*; Antonius Faklic, *Tergeste*; Carolus Stegmüller, *Sabaria in Hungaria*; Pompeius Serigni, *Mediolano*; Duranus Nencini, *Florentia*; I. Damiani, *P. O. Mossoula*; C. O. Montana in *foederalis Americae civitatibus*; Franciscus Tesaz, *Praga in Boemia*; Stanislaus Bednarski, *Cracovia*; Augustus Narquet, *ex Gallia*; Theodorus Korsch, *Mosca in Russia*.

Sortitus est praemium

HERIBERTUS AUGUSTUS STRONG,
ad quem gratis missus est libellus, cui titulus:

JOANNIS BERNARDI VIGI

DE SINDONE TAURINENSI

CARMEN

Curante VINCENTIO LANFRANCIO.

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus.

ROMÆ - Ex Officina Forzani et Socii.

RERUM ELENCHUS SECUNDI NUMERI HUIUS ANNI

De probabili foedere inter Angliam et Americae Septentrionalis civitates	A. ZAMA.
De ethnicorum scriptis in adolescentium institutione retinendis	F. TEDESCINI.
Minuciana	F. RAMORINO.
Ex Bosphori litoribus	B.
Tenui victu contentus, Ingluviem fuge. - Ad Fabricium Rufum. Epistola	LEO XIII.
De Moscoviae imperatoris consilio circa pacem	MONTELUCCIUS.
De monumento sepulcro Romuli attributo et in effossionibus Fori Romani nu- perrime invento	H. MARUCCHI.
Anthea (<i>Eamus ad Ipsum</i>).	P. ANGELINI.
Antonius Fogazzaro	HERSILUS.
Quaedam de instauranda sacrorum dierum observantia	LAELIUS.
De Laocoontis statua	I. CASCIOLI.
Annales	EGNATIUS.
Acta Sanctae Sedis	THOMAS.
Aenigmata	X.

Franciscus et Soc.

OFFICINA

ANAGLYPTIS, GEMMIS CONCHISQUE CAELANDIS

PRAESERTIM IN REDDENDIS FIGURIS
PHOTOGRAPHICE EXPRESSIS

TEMPERANTIA IN PRETIO - DILIGENTIA IN OPERE

ROMAE - Via Sistina, 129 - ROMAE

I. Romanini et Soci

ROMAE
VIA TOR MILLINA, N. 26-28

PRAEMIIS DECORATUM OPIFICIUM

Sacrarum Supellectilium textili disciplina fabrefactarum
sive phrygio opere, sive damasco, sive acu discriminatarum,
sive auro, sive argento,
sive sericis intertextarum, item siqua sint ad Eccl. usum

Ibi et Calices, Ostensoria, Pyxides, Lampades, Reliquaria,
Thuribula, Acerrae,
ex argento, ex cupro, deauratae, deargentatae.

**Suppeditor SS. D. N. Papae* *

VENALIUM INDEX IMAGINIBUS RERUM DISTINCTUS GRATIS DABITUR

BURNS & OATES

LONDON W. - 28, Orchard Street, 28 - LONDON W.

Qui opera cardinalium ediderunt Waughan, Manning, Wiseman, Waltherne archiepiscopi, Hedley episcopi, Faber, nec non Patrum Societatis Iesu et Sancti Philippi Nerei; qui itemque edunt

The Catholic Directory

ecclesiasticae in Anglia hierarchiae nuncium,

The Dublin Review, etc.

nulla impensa, in omnes orbis terrarum regiones libentissime
mittent Indicem ab ipsis novissime in quattuor partes 84 pa-
ginarum dispositum, libros catholicos omne genus comple-
ctentem, legentibus utilissimum.

EQUES PHILIPPUS VITI
MARMORARIUS

ROMAE - Via Alessandrina, N. 51 e 52 - ROMAE

AFFABRE SCULPIT QUAE SUNT
AD SIMULACRA, ALTARIA, SACELLA
AEDICULAS

Uti patet ex operibus erectis ac refectis
in Basilica Lateranensi,
Liberiana, Laurentiana extra muros, Transtiberina,
Eudoxiana, etc.

FIGURAE URBIS ROMAE

ARTE PHOTOGRAPHICA EXPRESSAE

COLLECTIONES VARIAE ET NUMERO ET PRETIO

Veneunt apud VOCIS URBIS Administrationem.

URBIS E IANICULO MONTE PROSPECTUS

(m. 1.10 × 0.24)

qui ad socios VOCIS URBIS dono datur,

venit singillatim L. 2.50

apud VOCIS URBIS Administrationem.

SI QVIS PLURA REQUISIVERIT HUIUS PROSPECTUS EXEMPLARIA
EA MINORI ACCIPIET PRETIO.

LE LAUDI LATINE

E IL CANTICO DEL SOLE

DI

SAN FRANCESCO D'ASSISI

S. Maria degli Angeli, presso Assisi, tip. della Porziuncula, 1897

Hoc libello praeter venustam praefatiunculam a Paulo Sabatier viro rei longe peritissimo conscriptam, continentur *laudes latine* cum interpretatione italica, *Canticum Solis*, necnon illa *Speculi perfectionis* capita, quae *Cantici* originem exponunt, aliaque permulta. Libellum, ad quem proxime ali subsequuntur ad parvam *Bibliothecam Franciscanam* comparandam, **Iulius Salvadori**, litteris tradendis doctor egregius, maxima edidit cura. Romae apud *Vocis Urbis* Administrationem venit L. 0.50, in pauperum levamen.

DESCLÉE, LEFEBVRE & S.

SANCTAE SEDIS APOSTOLICAE ET S. RITUUM CONGREGATIONIS TYPOGRAPHI

PARIGI - LIONE - LILLA - TOURNAI - BRUSSELLE - BRUGES - GAND - MALINES - ANVERSA - TOLOSA

LIBRERIA CATTOLICA INTERNAZIONALE

ROMAE — Via Santa Chiara, 20-21 — ROMAE

SUMMULA ex Formulario legali-practico fori ecclesiastici FRANCISCI MONACELLI deprompta iuxta tertiam editionem Romanam, anni 1844, per Sac. IACOBUM BIELLA. Index secundum ordinem materiarum et Index universalis rerum et verborum alphabetico ordine digestus. — Vol. unicum, in-4: Lib. 8.

IN CONSTITUTIONEM APOSTOLICAE SEDIS, qua censurae latae sententiae limitantur, commentarii, auctore JOSEPHO Card. D'ANNIBALE. Editio quarta, curante FEDERICO Can. POLIDORI, ab ipso auctore ultimis studiis notabiliter emendata et aucta. — Vol. unicum, in-8: Lib. 2.50.

INSTITUTIONES LITURGICAE in Seminariorum usum, quas FRANCISCUS STELLA P. C. M. Liturgicæ Academiae Florentinae moderator conscripsit. Editio altera. Ex ephemeridibus liturgicis excerpta. — Vol. unicum, in-8, pag. xvi-424: Lib. 2.

ACTA SANCTAE SEDIS in compendium opportune redacta, illustrata studio et cura VICTORII PIAZZESI, iuris utriusque doctoris. Singulis fere mensibus prodit fasciculus constans paginis 64. Duodecim volumen constituant. Associationes renovantur singulis annis, post duodecimum fasciculum, quo volumen completetur. Impensae pro mittendis sive fasciculis, sive voluminibus, iam continentur in pretio infra taxato. — Annuum associationum pretium: pro Italia, Lib. 12; extra Italianam, Lib. 13.50. — Index primae decadis, Lib. 4; Index secundae decadis, Lib. 2.50; utraque simul, Lib. 5.

PENNACCHI. *Commentarium in Constitutionem «Apostolicae Sedis»*. — Vol. I, Lib. 11; vol. II, per quod explicit commentarium praedictum, Lib. 8.

AVANZINI. *Commentaria in Constitutionem «Apostolicae Sedis»*. — Editio sexta manualis: Lib. 1.50.

ENCHIRIDION ORDINANDORUM, in-18 (16 × 9 1/2), seu liber in quo continentur: I. Ritus integer Pontificalis Romani de confirmandis, de consecratione electi in Episcopum; II. Missa integra a neo-sacerdotibus celebra; III. Diversae preces clericis et sacerdotibus valde utiles. — Vol. unicum, constans 170 pag. Editio altera. Religatum charta, Lib. 1.25; tela, fronte rubra, Lib. 1.75.

EPHEMERIDES LITURGICAE. Annus XII. Publicatio mensilis. Quaestiones liturgicas, sive quod theoricae sive quod primum spectat, pertractat; Decreta S. Rituum Congregationis, opportunis commentariis additis, evulgat; cui accedit Appendix continens quaestiones cum Liturgia relationem habentes, et Decreta aliarum Congregationum. SS. D. N. Leo Pp. XIII eas plures benedixit ac peculiari honorifico que Brevi donavit. — Premium consociationis: pro Italia, Lib. 10; pro Regionibus in Unione postali comprehensis, Lib. 11; pro ceteris regionibus, Lib. 12; pro unoquoque numero, Lib. 1.

Sanctissimi Domini Nostri LEONIS PAPAE XIII Allocutiones, Epistolae, Constitutiones aliaque acta praecipua (1878-1894). — 5 volumina, in-8. Veneunt Lib. 2.50 singula volumina. Sextum volumen sub paelo est.

BREVARIUM EUCHARISTICUM, in 18 (15 1/2 × 8 1/2), sive Officium de SS. Eucharistiae Sacramento per octavam Corporis Christi necnon per annum, secundum Breviarium Romanum Leonis XIII Pontificis Maximi auctoritate recognitum, additis commemorationibus Sanctorum et lectionibus de Scriptura quae ocurrere possunt. — Volumen unicum, ducentas paginas complectens, rubro colore ornatum. Solutum, Lib. 1.50; religatum tela, fronte rubra, Lib. 2.25; bazzana, id., Lib. 3.25; zigrino, fronte aurea, Lib. 4.25.

OFFICIA HEBDOMADAE SANCTAE et Octavae Paschae, in-12 (17 1/2 × 10 1/2), secundum Missale et Breviarium Romanum. Editio completa cum canto emendato, in qua, a matutino Dominicæ Palmarum usque ad vesperas Sabbati in Albis, Officium et Missa pro maiori recitantur vel adstantium committitae sunt disposita. — Volumen unicum, paginas xi-16*-750 complectens, litteris rubris et nigris, pluribus figuris ornatum. Solutum, Lib. 3.50; religatum, tela, fronte rubra, Lib. 4.75; bazzana, fronte rubra, Lib. 6; zigrino, fronte aurea, Lib. 6.75; zigrino perlucido, monogrammatibus auratis, Lib. 11.25.

OFFICIA PROPRIA PASSIONIS D. N. I. C. iuxta Breviarium Romanum, in-18 (14 1/2 × 8 1/2). — Vol. unicum, pag. 125, rubris et nigris litteris. Solutum, Lib. 1.50; tela, fronte rubra, Lib. 2.25; bazzana, fronte rubra Lib. 3.25; zigrino nigro, fronte aurea, Lib. 4.25.